



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Compendivm Summæ Card. Toleti

Minucius, Genesius

Sammieli, 1613

Quid sit charitas & quam neceßaria cap. 8.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41701

sumptio est duplex. vna qua quis vult beatitudinem suis naturalibus meritis, & viribus consequendâ, absque Dei gratia, vt Pelagiani. Altera est quæ quis vult beatitudinē sola diuina misericordia, & absque vlio proprio merito consequendam, vt Lutherani, & hic error est peior priore.

Quid sit Charitas, & quam necessaria. Cap. 8.

Charitas est * hominis amicitia ad Dominū, supernaturalis. Perfecta amicitia quatuor necessario requirit. Primū vt sit amor. * Secundū quod sit amor beneuolentiæ, quo alicui volumus bonū, bonū autē ipsum volitum est amore concupiscentiæ. Tertium, quod sit amor mutuus: quandō nāque solus est, ratione amicitia caret. * Quartum, quod sit

aliqua conuersatio inter amantes. Illud tamen certum est, solam amicitiam dici charitatem quæ est inter hominem & Dominum, in qua prædicta quatuor pulchrè elucent. Homo namque amat Deum amore beneuolentiæ, quatenus vult ipsum esse bonum, & iustum, ut re ipsa est. Dicitur* amor mutuus, quia homo amat Dominum, & ipse prius dilexit nos, hoc tamen discrimine, quia nos non impendimus ei tale bonum, quod volumus, at ipse suo amore dat bonum quod vult. Exstat inter nos, & ipsum mutua conuersatio, quatenus nos in ipsum tendimus, ut finis noster est, & manifestat nobis suam voluntatem, quam & implemus: propter quod Christus Ioh. 15. ait. Non dicam vos seruos, sed amicos, quia quæcunque audiui à patre meo nota feci vobis. Necessaria est autem hæc charitas, ut opera nostra efficiantur vitæ æter-

næ meritoria, & beatitudinem ipsam postremò consequamur.

De peccatis contra charitatem.

Cap. 9.

Multa sunt peccata contra charitatem, sed quatuor præcipuè, Odium in Dominum. Amor inordinatus, ut cū Dominum amamus non propter ipsum, sed præcipuè propter bona quæ ab ipso speramus. Tertio loco ponitur amoris tepiditas, quia nos ipsum non amamus, super omnia. Debet enim hic amor esse summus appetitiuè, etsi necesse non sit, ut sit summus intensiue. * Quartum, ex tempore pendet, quia nō diligimus ipsum, quando debemus: Cum primum enim ad annos peruenerimus, in quibus iudicii ratio viget, tunc tenemur nos nostraque omnia in finem vltimum dirigere, & Do-